

Humanum & manum perforat incumbens. Parum interest, quod virga feratur in manu, quæ jejunum corpus pedestri itinere fessum, utcumque sustentet; maxime tamen interest, ne manus, seu fiducia incumbat virga que vertitur in colubrum: & ex quo sperabas patrociniû in te, serpentino horrore vertatur in venenum mortiferum: Ecce quam venenata sunt humana patrocinia quorundam, à quibus maxime cavendum est; nam si eis saniti intendas, erunt tibi tanquam baculus arundineus, cui si presso corpore incumbas, frangitur, manum vulnerat, & lacerat, & quod pejus est, vertitur in colubrum, ut te devoret, & perdat in gehennam. Unde minatur Amos cap.6. numero 1. dicens: Va qui confidisti in monte Samaria: taxat Prophetarum confidentiam in montium altitudine, teste D. Cyrillo nostro: Putabam scilicet, etiam circa Dei auxilium, hostibus se prevaliturus esse: Inde Propheta super eos plorans clamat extremam miseriam, Væ! omnium miseriarum. Amos 6. D. Cyrill. 9. Hoc cap. 10. n. 10. mandat Christus D. suis Apostolis, ut in via ne portent peram, nec duas unicas, nec virgam, & tamen juxta D. Marcum, virga eis conceditur: Præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum: Marc. 6. n. 8. Quam difficultatem jam explicavi citato cap. 7. q. 7. Virgam Dominus concedit, & negat; Virgam eis committit, qua tanquam judices feriant, ubi criminum necessitas postulaverit, virgam negat, qua ut vindices vindictam referant, Ita Text. explicat D. Ambr. lib. 7. in Luc. c. 10. & ait: Ulionis studia deponite, & insolentiam verberantium, non injuriarum relatione, sed patientia magnanimitate supportate; Perfectus moribus maxime debet esse alienus ab injuriarum relatione, & sinceritatem justitiæ in omnibus sequi. 10. Ob interfectos fœde scortantes, jubet Deus, ut Phinæam Moïses admoneat: Ecce, do illi pacem fœderis mei, & erit illi pactum sacerdotii sempiternum; quia zelatus est pro Deo suo: Numero 25. num. 12. Certe virgam promittit Deus, cum honorem summi Pontificatus, ac sacerdotii illi concedit; virgam negat, cum pacem commendat, ex sacerdotis officio: Ecce do illi pacem fœderis: Philo. lib. de Temulentia, ait: Germana hæc dixerim, non temerè; Pax, & sacerdotium; quia scio non posse fieri verum sacerdotem, qui adhuc humanam militat militiam, sed requiri ad hoc virum pacatum, tam alienum à bello, ut perpetuò pacem colat. Cùm summus Sacerdos constituitur, virga datur maxime ad puniendam crimina contra Religionem, eum verò fœderis pax commendatur, requiritur ejus animus pacatus, ut cum magna potentia multa sustineat, & toleret ad retinendam cum omnibus pacem: Requiritur ad hoc virum pacatum, tam alienum à bello, ut perpetuò pacem colat. 11. Cùm David fugeret à facie Absalonis, per juga montis ibat Semei, oblatrans improbe contra eum. Ita autem loquebatur. Semel cum malediceret regi: Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial. 2. Reg. 16. num. 7. eum vellet miles hominem obtruncare obloquenter barbarè, subdit Text. & ait Rex, dimitte eum, ut maledicat. Dominus præcepit ei, ut maledicat: Ibidem. n. 10. signatè textum eum sæpe

regem vocat, ubi patientem laudat contumeliæ; ac si magnorum sit patientia cum regia virga, ut ipsa eximia potestas male audiat, & bene ferat. Perbellè D. August. lib. de Patientia, cap. 9. ait: Potestatem regiam magis, ac magis adhibui prohibendo, quam exercendo vindictam: tam propria regum patientia est, tantumque ipsa regia potestas in patientia declaratur. Patientia maxime perluceat in virga Regia. D. August.

Apostoli sicut Oves inter lupos.

QUÆSTIO III.

Quare Christus D. ait suis discipulis: Mitto vos sicut Oves inter lupos? Cum per Prophetam dicatur, quod sunt mittendi, ut leones inter pecora.

Christus D. in præsentis ait suis discipulis: Ecce ego mitto vos sicut Oves in medio luporum: quod est explicatum tom. 3. in Evang. cap. 8. per q. 17. Nunc verò adde ex D. Chry. D. Chryl. solt. hom. 34. in Matth. dicente: Erubescant igitur, qui contra facientes, quasi lupi adversarios suos persequuntur, cum videant innumerum lupos ab ovibus vinci paucissimis: & certè quousque sumus oves, facile hostes vincimus; cum vero in naturam luporum transimus, tunc superamur; tunc nobis nullum à pastore patrociniû adest, quò non lupos, sed oves pascit: Mittuntur oves inter lupos non ut devorentur, & perdantur à lupis, sed ut de lupis gloriosè, ac magnificè triumphent; sicut enim proprium est Ovium à lupis rapi, sic & proprium est Ovium certissimam victoriam à lupo reportare, ipsa patientiâ negotiant: Cum videamus innumerum lupos ab ovibus vinci paucissimis: Oves occisionis sumus, & cum patientissimi multis persecutionibus, ac injuriis premimur, maxime de universis triumphamus inimicis, tunc patientiâ nostra, tunc protectione nostri divinissimi pastoris gaudemus, qui nos valde gloriosos efficit; cujus enim patrociniû non est ad lupos, sed ad oves: quò non lupos, sed oves pascit.

Secundò: & maxime ad quæstionem: Cùm Christus D. suos Discipulos ad prædicandum ordinar, ait illis: Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Ecce Apostoli inter gentes dicuntur oves inter lupos, & tamen à Propheta appellantur leones, & catuli leonum fortissimi. De Christi discipulis in sua prædicatione vaticinatur Michæas c. 5. n. 8. Et erunt reliquie Jacob in gentibus, in medio populorum multorum; quasi leo in jumentis sylvarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum. Ad literam loquitur Propheta de sanctis Apostolis in prædicatione Evangelica, ut interpretantur D. Hieron. D. Hieron. Theodoret. Haymo. Rupertus. Lyranus. Vatablus, ac alii; nam Apostoli fuerunt tanquam leones fortes ac generosi ad vincendas, ac subjiciendas gentes Evangelio, vi scilicet doctrinæ, efficaciam miraculorum, ac magnitudine portentorum, ac suorum mirabilium operum Ecce

14. Ecce jam difficultas: à Propheta Apostoli dicuntur Leones, qui tanta generositate, ac confidentia ambulabant inter gentes, tanquam Leones inter cætera animantia, à Christo D. in præsentis vocantur Oves; sed quid Ovis in medio Luporum, cum Leone in medio pecorum? Difficultatem agnovit, & solvit noster D. Cyrillus Alexand. ad locum Michææ. Reliquia igitur Jacob per fidem in Christo salvati, Evangelii præcones, sacerdotisque constitui. Erunt etiam ut catuli leonis in grege, generosi nimirum contra insurgentes. Dominus Jesus dicebat, Ergo mitto vos sicut Oves in medio Luporum; eorum autem fortitudo corda oppugnantium eos confregit, multamque ipsis venerationem conciliavit. Quid est quod inter gentes servi Christi dicuntur Oves, & Leones? Ovis Lupos habet contrarios & adversarios; Leo verò cuncta animantia sibi habet subjecta, eisque dominatur, ab eisque venerationem vindicat. Servi Christi, etsi inter gentes videantur tanquam Oves inter Lupos, in eis tanquam Leones dominantur, easque subjiciunt, ab illisque gratiam, & reverentiam extorquent. 15. Tres illi generosissimi pueri Hebræi mittuntur in fornacem ardentem, vincti cum brachiis suis, thiaris, calceamentis, & vestibus; & tamen flamma vorax, quæ solet terrena corpora hostili impetu consumere, ac devorare, eos non lædit; Non tetigit eos omnino ignis, neque contrivit, nec quidquam molestia intulit: Daniel. 3. n. 50. imo famularum præstitit, dum consumpsit ligaturas, ut solvi in medio flammarum ambularent, Ibidem. n. 91. sed unde fieri potest, quod non solum ignis eos non læderet, sed etiam quod tantum obsequium eis præstaret. Tres illi caratissimi juvenes, erant servi Dei, & inde evenit, quod ferocissimæ, ac indomitæ contrariæ naturæ, quæ nulli rei parere noscunt, eis non solum non nocuerunt, sed etiam cultum, ac venerationem exhiberent: Pulchrè ait D. Augustin. serm. 240. de tempore: Ignis justis cedunt, ardores flammarum in refrigerium vertuntur, & instituta natura voraces impetus obliviscuntur, ut justos venerantes timerent. Ignis justos hospitio cum omni honore suscipiunt, & libenter obsequium præbent. 16. Elementorum fortitudinem Moyses, & Aaron convocarunt ad Pharaonem convincendum, novemque horribilium plagarum machinas in tyrannum contorserant; & nihilominus tyrannus pertinacissimè obtinebatur, imò Moysen, & Aaronem iridebat, ac illudebat, ut docent D. August. Rupert. Abulenf. & alii, quid tunc: ait Deus Moysi. Exod. 12. n. 3. Tollat unusquisque Agnum per domos, & familias suas. Cujus interventu statim Pharaon dimisit populum cum omnibus suis, & magnam reverentiam, ac excellentiam recognoscit in Moysè, & Aaronè, cum ab eis tanquam à superioribus benedictionem postulet: Et abeuntes benedicite mihi: citato cap. 12. n. 32. Unde evenit, quod Pharaon ferocissima bestia, de quo dicitur: Draco iste, quem formasti: Psal. 103. n. 26. sic mansuecit, mitigatur, ac subjicitur, ut non solum à malitia, ac protervia desistat, sed etiam benedictionem ab eis quarat; quem armata manus Moysi grandine, fulmine, peste, ac aliis multis plagis non potuit frangere, ac domare, unâ Agni Divini præsentia, non solum pro-

stravit, sed etiam reverentiam, ac venerationem ab eo extorsit. Rupertus lib. 2. in Joan. ait: Per Rupertus. immolationem Agni Pharaon quondam superatus est & Israelitarum servitus soluta est quod per manum Moysi, & Aaron plagis immisis perfici non poterat.

QUÆSTIO IV.

Quare Christus D. denuntiat suis Apostolis, quod tradentur ad reges, & præfides in testimonium illis?

Alit Christus D. in præsentis, n. 17. Cavete ab hominibus, tradent vos in Conciliis, & synagogis suis; ad præfides, & reges ducemini in testimonium illis, & gentibus, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Quæ omnia latè explicavi citato c. 18. q. 9. 10. 11. 12. usque ad quæstionem 17. Nunc adde, & nota quòd ait Dominus: Cave ab hominibus: non dixit, Cavete à feris, leonibus, flamma, sed ab hominibus, quia ut ibi dixi ex D. Chrylostom. q. 9. Homo malus, pejor est ipso diabolo; homo in hominem crudelior, quàm quæcumque fera, ac indomitus ignis. Sancti illi tres juvenes mittuntur ab hominibus in fornacem ardentem, Daniel 3. & ut ait Daniel 3. n. 92. Ambulabant in medio flamma, laudantes Deum: Quod expendit D. Augustin. serm. 240. de tempore, & ait: Licet Sanctis cum igne joculari, quibus cum hominibus non licuit commorari. Damnamus hostes, absolumus ignes. Homines scilicet, supplicia venerantur, defenduntur ardoribus justis, quos vis humana damnavit.

Et ait Dominus: Flagellabunt vos; & ante reges, & præfides ducemini propter me, in testimonium illis, & gentibus. Flagella, & vulnera Justo illata, dabunt testimonium contra flagellatores, ac percussores, & quando hoc erit coram judice, in die judicii, tunc verba justorum, vulnerumque cicatrices irrefragabile testimonium dicent adversus tyrannos, ut inevitabiliter pereant. Rupertus lib. 8. de glor. & honor. Fil. homin. hoc cap. 10. Matth. ait: Terribile valde, quod addidit, in testimonium illis, & gentibus: cujusnam rei testimonium? Et quando recusandum est testimonium? nimirum in die judicii. Quale enim erit in illa die hujusmodi testimonium contra se videre, ut non se possent excusare. Dicit enim illis Rex; ecce cicatrices flagellorum, quibus flagellatis eos in synagogis vestris, contra vos testimonium ferunt: Quid terribilius? in tremenda illa judicii die, quando omnis iniquitas oppilabit os suum; Tunc vulnera Sanctorum, & verbera accepta elevabunt vocem suam, & testimonium inevitabile, sic ait: Ecce cicatrices flagellorum, quibus flagellatis eos in synagogis vestris, contra vos testimonium ferunt.

Ait Joannes Apocalypf. 6. n. 9. Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & clamabant voce magna; dicentes, usquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum, de iis, qui habitant in terra, Sub altare stabant animæ interfectorum propter verbum Dei, & propter

Bonus princeps portat virgam, & pacem.

12.

D. Chryl.

Patientia sanctorum de hostibus triumphat.

13.

Michæas;

D. Hieron. D. Cyrill. Theodoret. Haym. Rupertus. Lyranus. Vatabl.

Crudeles hostes suos venerantur, & honorant.

Daniel. 3.

Coram servis Dei nes contraria potestates evanescent.

16.

D. August. Rupertus. Abulenf. Exod. 11.

Psal. 130. Agnina mansuetudo domat, & vincit, ac venerationem conciliat.

17.

Summa hominum crudelitas.

Daniel. 3.

18.

Quot sunt vulnera martirum, et testes contra tyrannos. Rupert.

19. Apoc. 6.

testimonium, quod habebant, & non dicitur, pro testimonio, quod dederunt, nempe in vita; sed propter testimonium, quod adhuc sic interfecta habebant; in eisque apparebant, nempe vulnera, & tormentorum stigmata dabunt testimonium contra eorum carnifices: Ecce cicatrices flagellorum, quibus flagellatis eos in synagoga vestris contra vos testimonium ferunt. Et sancti Martyres, qui habebunt testimonium subius altare clamabunt tanquam testimonium habentes ab ipso altari, contra suos percussores, qui interfecti sunt ob defensionem ipsius altaris, ne prophanaretur à gentibus, neve debitus in eo cultus Deo denegaretur.

Cicatrices vulnerum clamant contra persecutores.

20. Ait Christus D. suis Apostolis, & eorum nomine suis electis: Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Matth. 19. Sap. 5. In die iudicii stant iusti ad testificandum. Holchor. Ait Christus D. suis Apostolis, & eorum nomine suis electis: Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Matth. 19. n. 28. & tamen Sapient. 5. v. 1. Scribitur de die iudicii: Tunc stabunt iusti in magna constantia, quomodo stabunt? repugnantia in his terminis videtur sublatere: Sedebunt tanquam in honorifica sede demonstrant eorum sublimitatem, & honorem: stabunt vero contra suos interfectores ad testificandum, & ostendendum sua vulnera, verbera, & cicatrices. Holchor ibi lect. 5. ait: Strare iubetur iustus ad testificandum... stabunt ergo iusti in magna constantia, adversus eos, qui se angustia verunt in injuriis, aut flagellis.

QUÆSTIO V.

Quare Christus D. prædixit suis Apostolis, quod erunt odio omnibus hominibus.

21. Sic ait Christus in hoc cap. 10. n. 17. Et eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum: quod multis rationibus datis, citato cap. 8. q. 16. ibi explicavi. Nunc vero adde, & maxime considerandum, cum Christus D. faceret suos Apostolos totius orbis expugnatores, ut idolorum cultum è medio tollerent; cur non magis facit illos summè amabiles, ac maxime charos omnibus? cur non vult eos amari, sed maxime disponit, ut in odium sint omnium?

22. Primò, respondet D. Chryostom. homil. 1. ad populum Antioch. & ait: Multi enim, qui & bella bene gesserant, & urbes edificaverant, & aliis ejusmodi promeruerant sui temporis, homines, dii à multis estimati sunt, & templis, & aris honorati. Et omnis gentium deorum numerus ex his omnibus constans est: Ne hoc & in sanctis fieret, permisit ipsos Deus continuo pelli, flagellari, in varios incidere morbos, ut nimia corporis imbecillitas, & tentationum turba præsentibus persuaderet, quod homines erant talia edentes miracula: Apostoli erant valde benefici omnium, curantes infirmos, suscitantes mortuos, & dæmonia expellentes ab obsessis corporibus: si simul essent amabiles, & bene accepti in populis, crederentur dii, & illos adorarent homines, ut voluerunt adorare Paulum, & Barnabam, Act. 14. n. 10. & ita per illos idololatria non caderet, sed magis prævaleret,

Act. 14.

Tota enim gentilitatis cæcitas pullulavit tu quorundam principum beneficentia, qui ex valde benefici, sic à populo honorati, ac dii habiti sunt: ne autem crederentur Apostoli dii eorum eximia beneficentia, cum ad hoc essent instituti, ut destruerent cultum falsorum deorum; ideo eorum beneficentiæ adjunctum fuit odium, ut idololatriæ non viderent favere, sed eam destruere, ad quod erant ordinati; tanta est vis beneficentiæ, ut per illam homines dii credantur, ut pater in Paulos & Barnaba proxime citatis, quibus Sacerdos volebat sacrificia offerre. Unle sic pergit D. Chryost. citatus: Paulo & Barnaba immolare aggrediebantur: Vide diaboli malitiam Per quos Dominus impietates ex mundo exstirpare studebat, per hos ipsam ille inducere curabat; rursus peccatores deos homines esse putare, quod prioribus fecit temporibus. Et hoc maxime est, quod idololatriæ principium introduxit. Tota radix, ac principium idololatriæ creditur fuisse ab hominibus beneficiis, ac bene acceptis, & amabilibus ab universo populo. Cum ergo Apostoli essent omnibus multum benefici, desponitur, alto Dei consilio; ut non essent majore ex parte chari, & amabili es, sed omnibus odio, ut ita machina diaboli dissolveretur, & Dei ordinatio ad destruendam idololatriam in omnibus adimpleretur.

D. Chry.

Secundò: Eritis odio omnibus hominibus Ut inde magis innotesceret, & fieret manifesta Divinæ gratiæ vis, cumque esset in eos omnium odium exacutum, omniumque armata, & unita manus, ad eos perimendos, ac extinguendos, nihil valuit perficere, sed inde magis augebantur, & crescebant. Cujus rei rationem assignat Paulus 1. Corinth. 3. n. 9. Dei creatura estis, Dei edificatio estis. Ex quo D. Palschal. in Psalm. 44. colligit ingentem fructuum segetem, & ait, Dei agricultura estis. Dei edificatio estis, & ideo pulchram in vobis semina virtutum, & crescit seges multiplicata in Domino. Expende causam tantæ multiplicationis eam esse, quod sit agricultura Dei. Ubi gratia Dei intervenit super omnem naturæ vim, crescut, ac multiplicantur uberes segetum fructus. Totis viribus cupiebat Pharaon suo vehementi odio enervare Israelitas, ut laboribus pressi totaliter sterilescerent, ac perirent; res tamen in contrarium accidit Exod. 1. n. 12. Quanto opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant, & unde tanta multiplicatio à laboribus, minime; nec enim Deus naturæ vim expectat, ubi gratiam suam adhibet; quæ etiam plusquam natura, & etiam tenente ipsa natura: multiplicatos, ac ingentes fructus edere valet. Nolter D. Cyrillus Alexandr. lib. 4. Adorat, ait: Cum Pharaon malignitate summa conaretur tantum illis gentis proventum, atque incrementum cohibere, imposuit eis præfatos operum, ut affligerent eos operibus, sed hoc ejus consilium contrarios eventus habuit; nam ea ipsa, qua inferebatur vexatio, occasio illi incrementi fuit, cum Deus eam rem suâ sapientiâ mederetur, & Pharaonis astutia gratiam suam opponeret: Nota quod Deus astutia Pharaonis opponit gratiam suam, ut multiplicata seges cresceret.

Dei consilium, per diversa media adimpletur.

23.

1. Cor. 3.

Exod. 1.

D. Cyrill. Alex.

Tertiò: Eritis odio omnibus hominibus: Apostoli cunctis erant valde benefici; & tamen omnibus erant odio. O summa ingratitude! bene

beneficentia Apostolorum, cum homines deberent rependere gratiam, & beneficentiam, pro his rependebant odium, & malevolentiam; sic insolens est humana conditio, ut pro beneficiis mala retribuatur. Enumerans Scriptura filios Noë, ait: Erant ergo filii Noë, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, & Japhet, porro Cham ipse est pater Chanaan; Genes. 9. n. 18. Cum recensentur isti tres filii Noë, Cham ponitur in secundo loco, cum ipse esset inter illos minor, ut pater infra in hoc cap. n. 24. ac proinde reponebatur erat in ultimo loco; deinde maxime considerandum, quod solus Cham dicitur hic pater, & habere filium: Cham ipse est pater Chanaan: nec Sem, nec Japhet dicuntur patres, sed tantum iste, & ut moraliter dicam, forsitan solus Cham habebat filium, & ex eo in multo amore, ac ætimatione erat erga Patrem, cum ex eo videret filii nepotem; & ideo cum esset minor, non ponitur in ultimo loco sed in alio majore, ac excellentiori, & inter illos duos justos Sem, & Japhet. Ex quibus manifesta sit illius malignitas, cum tanto patris amori, ac benevolentia retribuere irrisionem, ac illationem, cum denuntiasset foris fratribus suis Patris verenda esse denudata D. Ambros. lib. de Noë, & Arca. cap. 28. ait: Ad coercendum delictum addita est ejus generatio; quia cum pater esset solus, ipse patrem non cognovit, qui magis cognoscere acerbisset.

Malitia humana pro beneficiis mala rependit. Genes. 9.

D. Ambros.

25. Cum populus esset egressus de Ægypto, & castrametatus esset in Raphidim, siti laboravit, cum ibi non esset aqua: Populus murmuravit contra Moysen, cur fecisti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, ac liberos nostros, & jumenta nostræ. Clamavit autem ad Dominum dicens: quid faciam populo huic? Adhuc paululum, & lapidabit me: Exod. 17. n. 3. & 4. Cur sic populus contra Moysen insurgit, nonne ab eo eximia, ac innumera beneficia accepit? Quis pro ejus libertate se majoribus periculis objecit, quam Moyses? Quis divisit Mare rubrum, ut incolumis persequentem Pharaonem cum exercitu suo evaderet? & quis vobis Capite antecedit, dedit cœlestem panem ad saturitatem, nisi ipse. Cur ergo contra illum sic commovetur populus lingua, & manibus? lingua obmurmurando, manibus ad lapides concurrando? Hæc est humana conditio, ut pro eximiis beneficiis acceptis, jurgia, & murmuraciones, ac saxa, & lapidationes rependant. Quod paucis comprehendit Rupertus Abbas, & ait: Ubique murmuraciones, ac jurgia; & beneficia, Dei sponte venientia, nulla præveniens merita.

Ingratus pro beneficiis murmuraciones, & lapides rependit.

Rupertus.

Fuga in aliam Civitatem.

QUÆSTIO VI.

Quare, exorta persecutione mandat Dominus fugere de una Civitate in aliam?

26. Ait Dominus hoc cap. 10. n. 23. Cum persequantur vos in civitate ista fugite in aliam: Quod explicatum est à nobis tom. 3. in Evang.

cap. 9. per quæstiones 16. & q. 4. n. 24. Ex Cle. mente Alexandr. dedit: Vult autem nos nulli esse auctores, nec alicujus mali cause adjutores, nec nobis ipsis, nec ei, qui interimus; mandat fugere in aliam civitatem ob multas rationes ibi datas; & etiam, ut ibi dixi, in persecutione justorum, semper intervenit persecutoris peccatum; inde iusti jubentur fugere ex hac parte in aliam, etiam si pendio præmii patientiæ, ne occasionem peccandi aliis præbeant. Post acceptam benedictionem à patre Jacob profectus pervenit in Mesopotamiam: Genes. 28. n. 5. Sed cur tunc modò proficiscitur, cum magis deberet manere cum patre, ut benedictione adeptâ fruereetur. Tamen bonus vir bene noverat fratrem Esau esse sibi animo valde infestum, ut illi occasionem peccandi submoveret Jacob paternæ domus requiem, ac delicias perdere, & duritias exillius perpeti non dubitavit. D. Ambros. lib. 2. de Jacob, cap. 1. sic ait: Au non beatus Jacob, etiam cum patriam relinquere; nam si beatus est qui peccatum declinat; utique negari beatus esse non potest, qui alterius culpam levat, crimen avertit. Paratumque patricidium declinavit exilio voluntario, eoque facto, sibi salutem quaesivit, fratri innocentiam donavit. Merito itaque cum Divina comitata est gratia.

Clem. Alex.

Christiana perfectior nis est promerere peccandi materiam.

Genes. 28.

D. Ambros.

Secundò: Tertullianus lib. de Fuga, cap. 6. ait: Ideo illis fugere tunc præcepit, non propter eludendum periculum, proprio nomine persecutionis, sed propter profectum annuntiationis. Quo consilio Dominus fugam consulit Apostolis; ut persecutionis tyrannidem fugiant; minime, sed ut occasio offeratur Scholæ de fide aperienda aliis, atque aliis populis; indeque sanctis Magistris permilla est fuga, ut quod abirent homines instruerent plurimos in fide, ac Religione: Hæc fugiendi ratio viris sanctissimis exiit. Cum sævirent Nerones, fugit Athanasius, fugit Basilus, fugit Paulus, fugiunt homines alii: ut qui inter fugiendum Evangelium divulgarent, at docet D. Athanasius homilia de fuga. Hac via abiit auditor Scholæ Apostolicae, Judæo manente, ac sæviente post necem Sancti Stephani. Act. 8. n. 1. Facta est in illa die persecutio magna in Ecclesia, que erat Jerusalem, & omnes dispersi sunt per regiones, Judæa, & Samaria. Ea tamen mente, ut docet D. Athanas. homil. de Semente: Non quod imbecillitate dejecti, sed fidei gratia divisi essent.

27. Tertull.

Maximè conveniens est fuga viro magno ad fidem propagandam. D. Athanas. Act. 8.

D. Athanas.

Dum D. Chrysologus serm. 150. præclare meditatatur divinum mandatum ab Angelo intimatam S. Joseph, ait: Bellicosus, quod in bello fugit, artis est, non timoris: Deus quando fugit hominem, Sacramenti est, non pavoris. Sed quodnam Sacramentum lateat in hac fuga, nobis non explicat Sanctus Doctor. Non fugit Deus, ut insequentem tyrannum timens, sed ut magis confuleret hominum saluti in etate adulta, suâ admirabili vitâ, suâ divinâ doctrina, suisque dictis, ac factis, suæque salutiferâ Mortis, ac gloriosa Resurrectione.

28. D. Chrysol.

Fuga sapientis fidei non pavoris.

Monet Paulus suos Discipulos 2. Corinth. 6. n. 4. In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam: Bonus Dei minister, nec præconia honoris exoptat, nec abjecta dedecoris, ac infamiae exhortescit, sed id sibi maximè splendidum arbitratur, quod est proximorum saluti conducibilis. D. Gregor. D. Gregor. lib. 21.

29. 1. Cor. 6.

D. Gregor. lib. 21.